✠

SENTENTIA LATA IN S. S. R. C.

in causa locorum de Manuel, Roseta, & Rafalet, & aliorum.

QVIA Ex meritis processus constat Ioannem Tallada antiquiorem in suo vltimo testamento condito die 15. mensis Octobris anni 1517. apud Ausiam Costa notarium publicum ciuitatis Sętabis, hæredem suum vniuersalem primo loco, & gradu instituisse alium Ioannem Talladã suum, ex Ioanne Francisco Tallada filio nepotem, eidemque sine filijs legitimis & naturalibus decedenti substituisse alios nepotes suos superstites nequaquam religiosos, de vno in alium, vsque ad vltimum, morientem masculum. Et non extantibus nepotibus, vocasse pronepotem suum masculum (si quis esset) ex neptibus suis sororibus dicti hęredis, qui assumere teneretur nomen, & cognomen Ioannis Tallada, & arma seu insignia testatoris. Quod si nepotes masculi, nec filij masculi ex neptibus superessent disposuisse. Totam hæreditatem, & bona sua peruenire debere ad proximiorem masculum suæ parentelæ, primũ ad eos, qui fuerint nominis de Tallada, huiusmodi autem non extantibus, ad alios, qui pariter cognomine, & armis testatoris vti tenerentur. Et post alia tandem, subiecisse, velle se, vt loca sua de Manuel, Roseta, & Rafalet, & hospitium, siue meson, tunc nuncupatum, de Enoua, seu Faldeta, nunc de Manuel, ac ædes sitas in ciuitate Sætabis, in quarum ianua sculpta cernebãtur insignia gentilitia ipsius testatoris, nõ exirent, nec exire possent à nomine de Tallada, iubendo quod conseruarentur; ac propterea expresse prohibuisse loca, hospitium, & ædes de quibus supra per hæredem suum, vel alios post eum venturos vendi, vel in alium quemcumque alienari, volendo, vt semper remanerent in nomine de Tallada parentelæ suæ, modo supradi-

 cto,

cto, prout in dicto testamento, ad quod habetur relatio, hæc & alia difusius exarantur. Ex quibus constat per dictum testatoré vtentem verbis prędictis, tractum temporis in futurum, & perpetuitatem importantibus, inductum fuisse absolutum agnatitium fideicommissum perpetuū, quoad dicta loca de Manuel, Roseta, & Rafalet, hospitiumque præfatum, ac ædes (bona sua prętiosa) quæ nedum alienare prohibuit, verum in nomine de Tallada parentelæ suæ semper esse, & remanere expresse dispo-suit. Et constat mortuo testatore, hęredem primo gradu instituti tutum, illius hæreditatem adijsse, ac possedisse, & litem hanc dicto nomine intentasse, & postea nullis relictis filijs, vel alijs descendentibus masculis decessisse, superstite sibi alio Ioanne Tallada filio legitimo, & naturali Ludouici Ioannis Tallada, etiam nepotis dicti testatoris, fratrisque hæredis prædicti primo loco instituti, ad quem vtpote descendentem masculum testatoris per rectam lineam masculinam, & tam ei, quam hęredi grauato proximiorem de parentela, & nomine de Tallada spectarūt in vim dicti fideicommissi loca prædicta de Manuel, Roseta, & Rafalet, & hospitium tunc nuncupatum de Enoua, seu Faldeta, nunc de Manuel, qui nomine prędicto, causam hanc reiuendicationis dictorum locorum, & aliorum bonorum prosequutus fuit, quousque per ipsum, & Ludouicum filium suum iuribus suis prædictis fuit renuntiatum instrumento confecto die 7. Aprilis anni 1600. penes Ioachimum Vañon de Eslaua auctoritate Regia notarium publicum Regni Valentiæ, qua renuntiatione media, & aliàs locus factus fuit in successione dicti fideicommissi Doctori Antonio Ioanni Tallada filio legitimo & naturali proxime dicti Ioannis Tallada, & dicti Ludouici renuntiantis fratri, & sic proximiori masculo testatoris, & dictorum hæredis grauati, & primi fideicommissarij, & nominis & parentelæ dicti testatoris. CONSTAT insuper nobiles Ioannem, Petrum, & Franciscum Quintana, fratres, contra quos fuit inchoatum iudicium, & post eos egregium quondā Ludouicum de Castella Quintana, & de Villanoua Comitem del Castella seniorem (contra quem fuit proseqnutum) possedisse, & egregium Ludouicum del Castella, Quintana, & de Villanoua etiam Comitem del Castella iuniorem, & seu egregiá domnam Angelam de Zanoguera Comitisam del Castella, illius matrem & tutricem, seu curatricem, contra quos lis continuatur, possidere loca prædicta de Manuel, Roseta, & Rafalet,

& di-

& dictum hospitium, siue meson olim nuncupatum de Enoua, seu Faldeta nunc de Manuel cum eorum pertinentijs. Et licet constet instrumento recepto per tunc scribam curiȩ generalis Gubernatoris nostri Regni Valentiæ citra Sexonam die 25. Ianuarij anni 1528. de quo fidem facit Ludouicus Ioannes Serra notarius eiusdem Curiæ scriba, tunc vices gerentem nostri generalis Gubernatoris in dicto Regno instantibus Bartholomeo Garcia notario procuratorio nominȩ nobilis Mariæ de Centellas & Borja, & alijs creditoribus, tam testatoris, quam hæredis primo grauati supradictorum, vi & districtu suȩ Curiæ vendidisse, & titulo venditionis concessisse publico encantu (vt ibi asseritur) & processu præ euntibus pretio nouem mille quadraginta librarum monetæ tunc currentis Regalium Valentiæ, Ioanni Bota auri cursori, vtpote plus danti & offerenti, dicta loca de Manuel, Roseta, & Rafalet, & hospitium vocatum de Manuel, ac alia bona in eadem venditione latius designata; qui, siquidem emptor, postea se contraxisse declarauit ad opus & vtilitatem Iacobi de Arauiano, qui etiam se prædicta emisse ad opus & vtilitatem nobilis Petri Quintana Secretarij Cæsareæ & Regiæ Maiestatis Caroli Quinti Imperatoris & Regis, patris dictorũ fratruũ Quintanas, cõfessus fuit. ATTAMEN per dictos actores plures oppositi fuerunt nullitatis defectus cõtra dictam venditionem. Et á decreto de vendendo, in cuius vim sequuta fuit, prouocauit, seu appellauit, idem Ioannes Tallada hæres primo gradu institutus, statim atque (vt asseruit) ad sui notitiam decretum ipsum peruenit. Et nihilominus tam per eum, quam alios, qui causam prosequuti fuerunt prætensum & deductum extitit negligentiam & culpam, quinimo & (vt ipsi affirmant) collusionem dicti Ioannis Francisci Tallada patris & tutoris, seu curatoris dicti hæredis, cum quo processus executionis, in cuius vim fuit sequuta vẽditio extitit actitatus, nõ potuisse nocere dicto hæredi, & minus alijs ad fideicommissum prȩdictum vocatis, nec eis aliquatenus obstare posse dictũ decretũ de vẽdẽdo in vim rei iudicatȩ, vel aliás. CONSTAT autem quod vbi cæteræ nullitatis exceptiones, seu replicationes per actores propositæ, vel de iure nunquam processissent, vel per temporis diuturnitatem, saltem concurrentibus alijs coniecturis sanatæ fuissent, ob præsumptionem solemnitatum extrinsecarum in venditione prædicta requisitarum, vel aliàs. Verum ex actis causæ executionis euidenter apparet, proces-

ſum illius inchoatum fuiſſe aduerſus Ioannem Arias, & quoſuis alios poſſeſſores, ſeu detentores dicti loci de Roſeta, in quo, titulo ſingulari ſucceſſerat eidem Arias, Ioannes Tallada teſtator. Et quod quanuis poſtea per dictum Garcia dicto nomine facta fuerit iudicialis oblatio, ſiue offerta comprehendens nedum dictum locum de Roſeta, ſed etiam alia duo nempe de Manuel, & Rafalet, ac hoſpitium de Manuel; contra quę etiam executio inſtari poterat ſaltem in vim incarricamẽti, ſeu adoſſamenti facti per Ioannem teſtatorem de cenſuali; pro cuius penſionibus inſtabatur, & de alijs, tempore quo, loca & hoſpitium prędicta acquiſiuit. Et prętendatur bona omnia in dicta oblatione, ſeu offerta comprehenſa, fuiſſe per legitimum & foridicum tempus ſubhaſtata, tam in ciuitate Valentię, quam Sætabis. Attamen ex eiſdem actis conſtat die 11. dicti menſis Ianuarij anni 1528. per dictum Garcia dicto nomine præſentatam fuiſſe coram dicto vices gerente, ſeu illius aſſeſſore quandam ſcripturam, qua addendo dictæ oblationi ſiue offertę, petit vendi, nedum bona per eum iam alias oblata, verum & alia, quæ nec implicitè, nec explicitè in oblatione antea facta poterant cõprehendi, præſertim terrę Oliueta, ac alia bona, quæ non erant pars, nec de pertinentijs dictorum locorum, & hoſpitij oblatorum. Quinimo plura ex illis (vt etiam in ipſamet ſcriptura narratur, & ex proceſſu apparet) fuerunt ſeparatim, & diuerſo titulo acquiſita ab hęredibus Vincentij Ferrer. Quibus ſtantibus, ſcriptura prædicta nouæ vtique additionis nõ autem declarationis eſt cenſenda, quantumuis pars inſtans exequutionem promiſcuè, his verbis vſa fuerit, & per dictũ vices gerentẽ, & ſeu eius aſſeſſorem declaratio fuerit nuncupata, cum potius rei veritas ſit inſpiciẽda, quàm verba. EX Quibus conſequitur, conſtare ex oculari actorũ inſpectione de manifeſto defectu ſubhaſtationis bonorum in dicta ſcriptura nouiter additorum, cum impoſsibile ſit per rerum naturam, bona addita, & nouiter oblata dicta die 11. Ianuarij, anni 1528. & vendita die 25. eorundem menſis, & anni, & ſic poſt quatuordecim dies à dicta additione, fuiſſe ſubhaſtata per ſpatium triginta dierum à foro pro forma ſtatutum. Qua exiſtente impoſsibilitate nulla poteſt in contrarium dari, nec admitti præſumptio, quinimò ex ea in totum corruit venditio, cum decretum de vendendo, & forma per forum præſtituta indiuidua ſint: & ex conſequenti non poſſit venditionis actus ſuſtineri, etiam quo ad bona per tempus

com-

competens (vt prætenditur) subhastata, presertim cum vno ver borũ contextu, & vnico pretio bona omnia in dicto instrumẽ to expressa vendita fuerint: ita vt correspectiuũ pretiũ non appareat, etiam bonorũ præcedente subhastatione foridica (vt asseritur) venditorum, cum si integrum venditionis pretium inspitiamus, pro omnibus bonis venditis fuerit constitutum; sin autem partem, nulla posit certa pro bonis additis asignari, cum nec bonorum prædictorum aliqua præcesserit æstimatio. QVIBVS nequaquam officit bona in & cum dicta scriptura addita, vtpote non comprehensa in dicto fideicommisso perpetuo, nequaquam ad dictum Doctorem Antonium Ioannem Tallada spectare, nec ipsi in eisdem ius aliquod competere. Cùm & actio ad impugnandum totam venditionem preuia de causa, fuerit quo ad omnia bona in ea contenta dubio procul radicata in persona Ioannis primo loco instituti, à quo ad alios, & sequentes ad fideicommissum vocatos fuit deriuata. Et etiam si ab initio diuersis personis bona prædicta pertinuissent, nihilominus data connexitate, seu indiuiduitate actus, quælibet ad rescisionẽ, & anullationem venditionis pro suo in teresse agere potuisset, & posset. HIS omnibus additur, in toto dictæ exequutionis processu nihil fuisse per dictum hære dem grauatum, illiusve tutorem, seu curatorem deductũ aduer sus creditores instantes, cum tamen plurima deduci potuissent ad impediendam, aut saltem modificandam exequutionem, & venditionem prædictas, & obuiandum omnimode dicti perpetui fideicommissi euersioni. Præsertim quod creditum, pro quo instari cœperat exequutio, quinimo nec alia, quæ ante actũ venditionis addita seu proposita fuere, non erant sufficientia, vt pro illorum solutione tot, & talium bonorum proprietas im perpetuum distraheretur. Potissimum cum ex locatione, seu arrendamento dictorum locorum, facto per procuratorem dicti tutoris, seu curatoris Ioannis Tallada heredis, Ludouico Roca ordinis, & militiæ Diui Iacobi de Spata, pretio sexcentarum quinquaginta librarum dictæ monetæ, pro quolibet anno ad sexennium instrumẽto recepto die 13. Aprilis, anni 1519. penes Martinum Gari notarium, ciuitatis Setabis, & ex alijs contendat pars agens longe minori pretio, quam valerent bona prædicta vendita fuisse. Quod si dictus tutor, seu curator supradicta, & alia proposuisset, & æstimationem dictorum bonorum ante venditionem fieri postulasset (quæ quamuis pro validitate

actus

actus eo, tunc forsan necessario non requireretur, ei tamen petenti denegari iuste non potuisset) ex his, vel creditores ex fructibus satisfieri, vel bona, saltem pretiosa, cum pacto de retro vendendo, vel instrumento gratiæ vendi, aut partem tantum illorum irreuocabiliter distrahi, & sperare, & consequi poterat, saltem remanente penes dictum hæredem, & suo tempore fideicommissarios, onere proprietatum censualium, quæ longe maiorem partem pretij dictæ venditionis excedebant, easque pro parte pretij prædicti, curiæ emptor sibi incarricauit, seu adossauit. Quæ cum idem tutor, seu curator non præstiterit, quinimo nec á grauaminibus hæredi (minori suo) illatis appellare non curauerit, à culpa, & negligẽtia excusari nequit. Quę sufficiens est, vt venditio prædicta nequaquã obesse posit succedentibus in fideicommisso, ex sua propria persona, etiam vbi prætensa eiusdem primi hæredis ratificatio dictæ venditionis, tacita, seu expressa subsequuta fuisset: eaque facta dicant ob æs alienum defuncti institutoris fideicommisi. CVM nec hæres, nec iudex id facere queant, nisi seruatis seruandis, & cum minori fideicommisi incommodo quo fieri valeat. His itaque & alijs meritis vtriusque processus tam primitiui, quàm huius supplicationis causę attentis dictam insequendo deliberationem in nostro S. S. R. C. sumptam pronuntiamus, sententiamus, & declaramus dictum don Ludouicum de Castella, Quintana, & de Vilanoua iuniorem Comitem del Castella, & seu dictam domnam Angelam de Zanoguera Comitissam del Castella ipsius matrem, vt eiusdem filij sui tutricem, seu curatricem, condemnandos fore, & ese, prout cum præsenti condemnamus, ad restituendum dicto Doctori Antonio Ioanni Tallada, dicta loca de Manuel, Roseta, & Rafalet, & hospitiũ, siue meson vocatum de Manuel, vna cum illorum pertinentijs, & iuribus, per ipsos dictis nominibus possessis, in dicto fideicommisso perpetuo comprehensis, & fructibus ex eisdem locis, hospitio, & pertinentijs perceptis, à die 25. mensis Maij, anni 1600. qua dictus Antonius Ioannes Tallada se in causa opposuit, seu immiscuit. Restitutis tamen prius dicto Comiti, & seu dictæ illius tutrici, seu curatrici, dicto nomine, pretio dictę venditionis curię, & melioramentis, seu eorum valore, soluto, & factis per dictum curiæ emptorem, eiusque successores, & eiusdem pretij legitimo interese, liquidandorum liquidatione reseruata, quàm committimus nostro Locumtenenti generali,

nerali, & Regiæ Audientiæ dicti Regni Valentię, in qua de prędictis, & de compensatione hinc inde facienda, debita habeatur ratio. Et modo predicto sententiam latam per dictos Locumtenentem generalem, & Regiam Audientiam, die 24. Ianuarij, anni 1609. à qua per partes fuit supplicatum, quatenus est huic conformis cõfirmamus, & quatenus est difformis, in melius commutamus, non obstantibus in contrarium per partes vtrinque deductis, & allegatis. Neutramque illarum ad expensas condemnamus. *Roig Vicecancellarius.*

V. Don Saluator Fontanet Regens. V. Martinez Boclin Regens. V. Perez Manrique Regens.

Lata fuit huiusmodi sententia per dilectum Michaelem Codorniu nostrum mandati scribam, & notariũ publicum vice & loco Augustini Iusta & Pont, etiam mandati & huiusmodi causæ scribę, die sexta Maij, anno à Natiuitate Domini 1615.